

# EPISTULA LEONINA

## XCIV

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
 LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

**N.B.!** EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XCIII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
 NONAGESIMAM QUARTAM (94) !

## ARGUMENTA

1. IN MEMORIAM MAXIMILIANI MANGOLD.....p.04-18
2. ECCE LIBRI LEONIS LATINI..... p.19
3. ECHUS ET VOCES.....p.20-23
4. CERTAMEN PALAEOHELLENICUM.....p.24-28

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

*Cara Lectrix, Care Lector,*

*valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam nonagesimam quartam.*

*Haec Epistula dedicata est **Professori Maximiliano Mangold (1922-2015)** viro linguis investigandis dedito, quo doctiorem numquam vidi. Mangoldii scientiam ingentem rationemque docendi clarissimam atque subtilissimam tam vehementer admiratus sum, ut per decem ferê annos eius acroases seminariaque frequentarem. In memoriam huius viri doctissimi Latinê reddidi orationem lugubrem, quam habuit Marcus Groß, commilito quondam meus, qui nunc Biponto in urbe cathedram tenet studiorum linguarumque europaeorum.*

*Praeterea tibi commendo, ut legas de Certamine Palaeohellenico deque cursu palaeograecê loquendi. Nonne talis occasiuncula arridet omni homini studia humaniora amplexo?*

*Denique huic Epistulae nonagesimae quartae insunt nonnullae echûs voces: licet enim nos non semper omni ex parte cum lectoribus consentiamus, tamen libenter eorum verba Latina divulgamus:  
**AUDIATUR ET ALTERA PARS!***

**Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!**

**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
**d. Dominico, 21. m. Febr. a.2016**




## AUDIATUR ET ALTERA PARS

IUSTITIA. A.1510 pinxit Raphael. Invenitur in Museo Vaticano, in *Stanza della Segnatura*.

# IN MEMORIAM MAXIMILIANI MANGOLD

ORATIO LUGUBRIS D.28. M.FEBR. A.2015 A MARCO GROSS HABITA

A NICOLAO GROSS IN LATINUM CONVERSA



**MAX MANGOLD (1922-2015)****PROFESSOR DOCTISSIMUS NECNON  
ADMIRABILI LINGUARUM PERITIA  
PRAEDITUS*****Cari homines lugentes,***

hodie inter nos huc congregati sumus, ut in *Professorem Doctorem Maximilianum Mangold*, in nostrum magistrum et collegam et consortem, officio fungeremur supremo.

Plerique homines praesentes Maximilianum Mangold certê primo praecipuêque cognoverunt magnum virum permultarum linguarum ingeniosissimê peritum, qualis esse per decennia in universitate studiorum Saraviensi dicebatur. At îdem professor haud libenter habebatur pro homine, qui praeditus esset ingenio quadamtenus mirabili; nam ipsi persuasum erat homines sic sentientes omnino non intellegere se maximam partem facultatum atque scientiarum, quae sibi essent propriae, per spatium vitae suae (qua nonaginta duos annos complevit) magis assiduitate et analysi scientificâ rectâque methodo assecutum esse quam ingenio naturali sibi innato. Hac de causâ operae pretium est vitam huius viri doctissimi talem aliquatenus considerare, qualem ipse eam enarravit.



### **Ecce Yvonne et Maximilianus**

Natus est Maximilianus Mangold d.8. m. Maii a.1922 Basileâ in urbe. Eius pater officium gerebat autoraedarii ideoque longê latêque circumvehens multas regiones peroverat. *Yvonne Mangold*, Maximiliani Mangold soror anno maior natu, quam ipsam, cum huius sollemnitatis lugubris praeparandae particeps fuerit, valetudinis causâ hodie apud nos non esse dolemus, rettulit patrem suum professionis causâ saepius in Germaniam iter fecisse, semel in ipsam Angliam, cum Georgius VI. rex fieret. Se suumque fratrem Maximilianum semper delectatos esse eo, quod atlante geographico, unico libro, qui in domo parentum fuisset, pervolutantes computarent spatia itinerum, quae pater faceret.

Hic atlas multum valuit ad vitam Maximiliani Mangold priorem. Quod opus geographicum diligentissimê cum pernosceret, accepit aliquot milia nominum alienorum difficilia pronuntiati, quorum multa inveniuntur in Dudeniano lexico pronuntiationis postea ab eo ipso compluries edito.

Mater eius erat domiseda, sed musicis rebus tam habilis, ut suo Marte disceret citharâ canere et praecipuê id curaret, ut liberi sui Maximilianus atque Yvonne diligenter discerent compluribus instrumentis modulari. Id

mater cum aliis tum hac de causâ magni fecit, quod consensu communi civem mediæ strati socialis decebat ipsum artem musicam colere. Maximilianus Mangold didicit modulari violinâ et clavili et organo et citharâ et tibiâ clarisonâ variisque generibus tiliarum aliis. Dignum commemoratu est eum perbene scivisse ex tempore modulari clavili organoque.

Eius mater matrisque consanguinei primo locuti erant aliâ dialecto quam pater, sed celerrimê se accommodaverunt ad sermonem novis circumiectis proprium. Idem facere iussi sunt liberi, nam prioribus eorum vitæ annis familia compluries habitaculum mutavit, ultimo habitaverunt Basileâ in urbe.

Domi familia Mangoldiana primo loquebatur dialecto Alemanniae superioris, quae condiscipulis Basiliensibus videbatur esse rudis parumque urbana. Basileae maximê aestimabatur dialectus Alemanniae inferioris. Itaque Maximilianus parvulus antequam hac dialecto sibi novâ loqui scivit, in scholâ saepe illudebatur.

Schola superior, quam Maximilianus Basileae primo frequentavit, fuit gymnasium matheseos scientiarumque naturalium, quod post gymnasium humanisticum gymnasiumque reale tenebat locum demum tertium. Sed hac in scholâ lingua Anglica instituebatur libro didactico, cuius in lectionibus prioribus textus non litteris orthographicis, sed phoneticis tantum impressi erant. Hac linguae descriptione phoneticâ animus Maximiliani magis permotus est, quam ut umquam oblivisceretur.

Latina lingua hoc in gymnasio nondum erat disciplina obligatoria, sed Maximilianus Mangold eam quoque sibi elêgit curiositate inductus. Itaque nonnullis annis post facilius ei scholam mutaturo facilius fuit adire gymnasium reale. Ut in hoc gymnasium cooptaretur, Maximiliano in grapheo directoris transferendus erat textus Latinus, qui (forsan subfuerit quaedam malevolentia) non fuit prosaicus, sed continebat versûs ex operibus Ovidii excerptos.



**A dextris Maximilianus Mangold, a sinistris eius soror Yvonne**

Ipse autem dixit se non a primis pueris cupivisse linguas discere neque priores linguas celerrimè didicisse. Vituperatam esse pronuntiationem suam a magistro linguae francogallicae, facultatem suam res verbis exprimendi a magistro linguae theodiscae. Suasum sibi esse, ut legeret fabulas iuveniles, e.g. fabulas *Iulii Verne*. Sed tales fabulas sibi omnino displicuisse, praesertim cum in iisdem res geographicae parum accuratè indicarentur: talibus fabulis se praetulisse relationes itinerarias, quae hac in re fuissent multo fideliores.

Paulatim Maximilianus didicit melius ûti linguis peregrinis, primo eâ linguâ peregrinâ, quam primo coeperat discere: theodiscâ. Nam haec ei semper visa erat peregrina. Mirum est Maximiliani facultatem sonos peregrinos imitandi primum apparuisse eo quod sciebat dialectos Helveticas imitari narrandis facetiis. Francogallicâ quoque linguâ puer in dies melius locutus est, et undecim annos natus iam scivit hac linguâ colloqui profluentem. Linguam autem Graecam, quam sibi adhuc deesse opinatus in scholâ suâ non discere potuit, eam, quia ibi non docebatur, didicit horis privatis.



Loci, quibus Maximilianus maximè delectabatur, illo tempore multisque decenniis post, fuerunt bibliopolia. *Yvonne* eius soror narravit Maximilianum, annis posterioribus quodcumque se ipsam Basileae visitavisset, brevi post adventum semper primo quaesivisse, num sibi liceret aliquantulum clavili modulari. Brevi post illum profectum esse ad palaeobibliopolia urbis perscrutanda, postea laeto cum subrisu revertisse praedam secum afferentem – velut bibliam in sermonem Mongolicum conversam. – Bene scio multos praesentium simili gaudio cimelia colligendi affectos esse – quod coniuges interdum aegrè ferunt.

Hôc modo Maximilianus maturè iam sibi comparavit libros didacticos, quibus disceret sermonem Italicum et Hispanicum. Cum quidam avunculus sui viveret in Brasiliâ, coepit etiam discere linguam Lusitanicam. *Yvonne* soror annis posterioribus decennium ferè degit in Brasiliâ, unde fratri misit nonnulla opera litterarum Brasilianarum. Maximilianus autem magis attractus est formâ huius linguae Europaeâ.

Italicam linguam îdem iam discipulus subtilius percepit eo quod ab Italo magistro linguae theodiscae munere collocutoris mandatus totam aestatem degit in Italiâ septentrionali.

Ante bellum Mangoldio cum neque esset radiophonum neque phonodisci, pronuntiatus ei discendus erat litteris phoneticis, quae inscriptae erant libris didacticis; iisdem didicit quoque litteras phoneticas suo Marte scribere. Iam ante examen maturitatis scholare îdem iuvenis hôc modo coeperat pernoscere viginti linguas. Sed magistris Helvetiis posteaque collegis universitatum Helveticarum nequaquam placuit Mangoldii facultas, qua sermone Germaniae superioris sciret loqui sine colore Helvetico. Hôc loco commemorandum est sororem quoque eius perbene pronuntiare sermonem Germaniae superioris, necnon – ut Maximilianus Mangold ipse dixit – perbene didicisse linguam Francogallicam atque Lusitanicam. Ergo tamen genti Mangoldianae inesse videtur quoddam ingenium ad linguas discendas aptissimum.

Maximilianus Mangold adhuc discipulus in universitate Basiliensi frequentavit cursûs linguae Russicae institutorios. Prima autem lingua slavica, quam suo Marte coeperat discere, fuerat Polonica; quam didicerat, ut quendam condiscipulum adiuvaret familiam suam quaerentem. Sed mox lingua Russica facta est una ex linguis Mangoldio dilectissimis. Magna pars librorum bibliothecae Mangoldii domesticae fuit originis Russicae.

In universitate studiorum îdem cognovit primos studentes peregrinos coepitque cum iisdem colloqui linguis peregrinis.

Nescio an brevi ante bellum Mangoldius invenerit radiophonum sibi fontem esse documentorum loquelarium – sicuti hodie dicitur – authenticorum. Undâ brevi îdem tandem audivit viginti ferê linguas, quas antea phoneticâ tantum descriptione pronuntiandâ imitatus erat.

Ex hõc tempore Maximilianus Mangold quadamtenus non iam vixit nisi audivit emissiones radiophonicas et per totam vitam studuit alumnis suis academicis hanc methodum discendi commendare et explanare.

Post abiturium Maximilianus Mangold primo studuit linguis pernoscendis in instituto interpretum Genavensi. Ibidem primo agnovit linguam Hungaricam, qua loqui imprimis didicit cum profugis Iudaeis. Omnis, qui iam aliquando tractavit linguam Hungaricam, bene scit eandem primo esse difficillimam, secundo non esse originis indogermanicae. Unus saltem hominum hõc loco praesentium, cui sermo Hungaricus est patrius, affirmabit Maximilianum Mangold annis posterioribus eundem tam bene calluisse, ut sciret eodem cum Hungaris colloqui de litteraturâ Hungaricâ.

Paulo post Mangoldius stipendio accepto Parisios migravit, ut ibidem per triennium studeret linguis pernoscendis in Universitate Sorbonicâ. Disciplinam sibi principalem elêgit ipsam Dacoromanicam linguam, sed etiam aliarum linguarum multarum cursûs institutorios frequentavit. Dacoromanicam autem linguam ceteris praetulit, quia computavit greges institutorios huius linguae discendae, quae omnium Romanicarum esset difficillima, minimos omnium fore; quo factum iri, ut magistris proximus linguam quam optimê disceret. Postea iturus erat in Dacoromaniam, ut ibi linguam exerceret per annum dimidium. Solebat studere, ut iter faceret in eas terras, quarum linguas didicerat, aut, ut melius dicam, ut per nonnullos menses ibidem viveret.

In Universitate Sorbonicâ etiam cognovit multos linguistas Francogallos suae aetatis, velut *Fouché* et *Martinet*.

Mangoldius habitabat in Civitate Universitariâ, in domicilio studentium clavili modulabatur, cum commilitonibus pedifolium ludebat, colloqui exercebat cum locutoribus earum linguarum, quas iam calluit. Nonnullas alias addidit, e.g. Catalanicam et Occitanicam, quas cum collegis studiorum exercebat, praeterea Sinicam quoque. Primam linguam Indianorum scientificâ saltim ratione tractavit. Parisiis quoque primum omnium cognovit linguam Vasconum, sed hanc linguam non didicit nisi ratione grammaticâ atque scriptuali.

Examine finito revertit Basileam, ubi – ut ipse postea dixit – quodam exercitio officii tantum causâ facto – sub aegide *Valteri de Wartburg*, romanistae suae aetatis fortasse omnium illustrissimi, ad gradum doctoris promotus est.

Postea voluit ire in Civitates Unitas linguam Francogallicam in universitate studiorum instituturus – necnon linguas indianorum tractaturus. Sed hōc consilium frustra capto iit novo stipendio instructus Londinium, ubi in collegio universitatis simulque in Scholâ studiorum Orientalium et Africanorum (SOAS) studuit linguis pernoscendis, tractavit phoneticam thailandicam et burmesianam necnon didicit linguam Turcicam. Ibi demum Maximilianus Mangold factus est ille phoneticus atque phonologus, qualis postea innotuit.

Unus e magistris eius fuit *Daniel Jones*, quem plerique fortasse noverunt exemplar vivum illius *Professoris Higgins*, quae est persona „Pygmalionis“ dramatis a *George Bernard Shaw* conscripti necnon melodramatii, cuius titulus est "*My fair Lady*".

Ex Angliâ reversus prope lineam limitaneam Coreae partibus boreali meridionalique intersitam veste militari Helveticâ indutus per unum annum munere functus est interpretis Unitarum Nationum (UN). Memoratu dignum est eum Helvetium, qualis mansit usque ad mortem, militiam suam semper ritê fecisse, interdum munere militis sanitarii fungentem.

In Coreâ praecipuê linguam Russicam convertit in Anglicam, sed occasionem quoque cepit linguas Bohemicam Sueticamque sibi iam nôtas exercendi. Coreanicê loquendi nulla ei fuit occasio, quamvis huius linguae scripturam atque grammaticam disceret posteaque complures commentationes academicas curaret ad hanc linguam spectantes. Sed ei illo tempore non fuit necessarium loqui Coreanicê, nam cum iis Coreanis, qui linguae Anglicae erant imperiti, Mangoldius loquebatur Iaponicê, quam illo tempore adhuc omnes ferê Coreani noverant. Inter annum commorationem Coreanam duo fecit itinera in Iaponiam breviora et in itu et in reditu nonnullos dies degit in Havaiâ.

Pecuniâ, quam in Coreâ meruerat, usus per annum vixit in Hispaniâ Lusitaniâque, ubi cum in aliis universitatibus tum in Coimbrenci, quae fortasse est omnium Europaearum vetustissima, studuit linguis pernoscendis.

Basileam reversus voluit in universitate habilitari, i.e. facultatem publicê docendi sibi comparare. At cum opus suum habilitationis scripsisset

linguâ Anglicâ, professoribus Basiliensibus quaedam exortae sunt difficultates. Primo hoc opus traditum est professori cuidam graecitatis, deinde ad facultatis medicinalis provinciam stomatologicam, denique tamen inventus est vir doctus rei peritus, quo adiuvante a.1956 fieri potuit, ut Maximilianus

Mangold habilitaretur. Interea victum sibi comparaverat translator officinarum pharmaceuticarum, quibus specialia periodica russica ei convertenda erant in francogallicum sermonem. Huius officii causâ occasionem nactus est complura itinera in Unionem Sovieticam faciendi.

Doctor habilitatus disciplinae phoneticae cum esset, in Universitate Basiliensi potius ad philologiam spectante vix aliquos habuit auditores. Itaque valdê gavisus est, quod anno post sibi mandatum est munus docendi in Universitate Saraviensi gerendum, ubi – usque dum emeritus est – cathedram tenuit phoneticas et phonologiae, quas docuit investigavitque. Sed scholas etiam habuit academicas ad alias provincias pertinentes, velut ad disciplinam linguarum generalem (Francogallicê loquens), et ad phoneticen anglicam et ad dialectologiam. Praeterea solebat instituere linguas alienas, quarum praebuit docendas et exoticas, quales sunt *Kalispel* lingua Indiana, mongolica, Kiswahili, et europaeae, quales sunt Catalanica, Lituonica, Raetoromanica et multas alias.

Professor cum esset, Maximilianus Mangold conscripsit numerosa opera scientifica, quae hîc enumerare longum est. Die 27.m.lunii fiet extraordinarius conventus memorialis in Universitate Saraviensi habendus, quo honorabuntur merita Professoris Mangoldii scientifica. Quo in conventu verba facient auditores et consortes Mangoldii necnon îdem ipse, nam exstant etiam eiusdem receptiones televisificae et auditivae.

Hôc loco autem commemoranda sunt opera ab eo redactioni Dudenianae facta. Nomen enim Mangoldianum non solum est coniunctum cum lexico pronuntiationis Dudeniano, cuius editiones omnes – ultimam a.2005 – confecit, sed etiam cum multis huius instituti bibliographici operibus publicatis aliis. Vix exstat aliquod lexicon illius temporis, cuius componendi Mangoldius non quoquo modo particeps fuerit.

Iam commemoravimus eum multum tempus dedicavisse operibus multorum sui studentium curandis. Ut erat phoneticus, ei omnes linguae, quatenus sunt systemata – non quatenus sunt instrumenta bona cultûs civilis transferendi - eâdem ratione aestimavit. Mangoldius aequali

ratione descripsit sermonem normatam ac dialectum aut linguam emortuam.

Maximiliano Mangoldio moderante multi alumni academici scripserunt commentationes suas doctorales de rebus linguisque vehementer variis, in departamento disciplinae germanisticae francogallico multi studentes Africani etiam opus magistrale composuerunt de sermone suo patrio. Ita compositae sunt plus duae decuriae commentationum, quae spectant ad linguas Africanas, praesertim ad linguas Africae occidentalis. Mangoldius alumnis suis semper erat affabilis, paratus ad eos adiuvandos, patientiâ praeditus extraordinariâ. At rarissimê factum est, ut Maximilianus alumnum aliquem laudaret. In hac re se gerebat secundum illud proverbium, quo dicitur non vituperare iam esse laudare.

A.1981 edita est prima dissertatio, quae spectat ad dialectum Saraviensem: quae dissertatio fuit grammatica Saravipontana a *Lothario Steitz* conscripta, quam secuta sunt multa opera alia, quibus dialecti regionis Saraviensis tractarentur. Ita factum est, ut Saravia interim sit ea regio Germaniae, cuius dialecti optimê sunt descriptae; hoc est meritum Mangoldianum, quod nescio an posteriore quadam aetate sat aequê atque iustê honoretur. At revertamur ad initia horum studiorum Mangoldii et ad dialectum Saravipontanam investigandam.

Maximiliano Mangoldio persuasum erat linguam non posse describi nisi lexico componendo. Inter eius auditrices aetate proveciores fuit *Edith Braun* Saraviponti nata, quae dixit se paratam esse ad hoc opus suscipiendum. A.1984 editum est Lexicon Saravipontanum ab Edithâ Braun atque Maximiliano Mangold compositum. Thesaurus verborum a Braun collectus erat, Mangold exemplo lexici orthographiae Dudeniani hunc librum disposuit. Secundum exemplum Lexici Saravipontani annis posterioribus conscripta est series nonnullorum lexicorum, quae spectat ad vicos Saravienses. Nonnulla eorum composita sunt ab Edithâ Braun, sed semper sub aegide Maximiliani Mangold.



**Edith Braun**

Digna commemoratu sunt verba Mangoldii ad dialectos pertinentia, quibus refutatae sunt opiniones falsae, sed iterum iterumque prolatae. Cum a.1994 primum lexicon dialecti vici *Lebach* modo editum proponens explanaret, in acroasi suâ locutus est de multis opinionibus falsis, quae – partim ab eruditis quoque hominibus – haberentur de linguis, praesertim de dialectis. Plerosque credere se, quia aliquo sermone ut patrio loquerentur, aliquatenus quoque scire iudicare de structurâ illarum. De istâ opinione Mangold dixit haec:

*„Locutor alicuius sermonis communis perpauca scit de sermone suo. Quidam linguista Americanus aliquando dixit: 'Tales homines similes sunt autoraedariis. Autoraedarii quoque sciunt bene autoraedam gubernare, sed de structurâ autoraedae pauca sciunt aut ferê nihil'“.*

Mangoldius refutavit etiam opinionem vulgarem, qua dialectus haberetur pro sermone scriptuali delapso vel corrupto.

*„.... hoc non est verum. Dialecti plerumque non sunt exortae e sermonibus scriptualibus, sed ex formis linguarum vetustioribus, quas nos partim ignoramus“.*

Praeterea Mangoldius vehementer contradixit iis, qui opinarentur dialectum scriptam generaliter non esse aptam ad litteraturam aut ad quaedam genera litteraturae adhiberi non posse. Eorum opinionem repulit commemorans fabulas romanicas dialectis conscriptas, quae essent luxemburgica et Bernensis et dialectus Germaniae inferioris. Neque îdem vir comprobavit textûs biblicos non esse in dialectos convertendos, quia dialectus esset genus sermonis cottidiani nimis humile, parum cultum:

*...scilicet hanc quoque esse sententiam ineptam, immo pleraeque vel multae versiones bibliae fuerunt primae versiones in aliquam dialectum factae, qua in dialecto antea nihil prorsus erat scriptum“.*

De operibus suis scientificis Maximilianus Mangold plerumque non loquebatur nisi cum hominibus sui generis; vitam eius privatam nemo noverat nisi amici optimi. Nemo nisi amici eius sororque noverunt e laboribus cum *Edithâ Braun* communicatis decursu annorum exortum esse quoddam consortium vitae.



**Ecce perpauci tantum libri e stupendo thesauro bibliothecae Mangoldii privatae sumpti, quae quadraginta milia librorum continuisse dicitur. Recordor verba eius: »Libris confide potius**

quam hominibus«. De quibus verbis alii aliter sentiant. Dicta sunt ab homine certê doctissimo omnium, quos umquam vidi (*adn. interpretis*).

In conviviis, quae diebus festis facta sunt in circulo cognatorum Edithae Braun numero, professor linguarum capacissimus praestabat quandam facetiam atque comitatem inexpectatam. Convivis pergrata erant eius imitamenta sermonum: Mangoldius sciebat enim imitari sonos, quibus sacerdos Francogallus homiliam habet Latinam et sonos (scilicet prorsus alios) qui êduntur a vicario Anglo eandem homiliam habente. Aut miram dissonantiam, quae fit, si Sinensis cum Italo colloquitur sermone esperantico.

Maximilianus Mangold animo cum erat bono, interdum narrabat facetias dialecto Austriacâ aut Bavaricâ, ut omnes commensales exhilararentur.

Ultimi eius anni certê non fuerunt felicissimi, senectus tributa sua a Maximiliano Mangold quoque postulavit; tamen îdem usque ad dies ultimos memoriter retinuit partem quandam haud exiguam facultatum suarum recordationumque. Itaque cum gerontocomis *Domus Egon Reinert*, ubi annum aetatis suae degit ultimum, saepe loquebatur illarum sermone patrio; modos musicos sibi dilectos non iam potuit, ut prius, ipse modulari, sed iisdem animus eius adhuc plurimum commotus est, e.g., cum in ecclesiâ prope sitâ audiebat organistam exercentem. Hôc loco oportet commemoretur Maximilianum Mangold hunc ultimum suae vitae annum degisse comitantibus *Edithâ Braun Monicâque Sommer-Hasenstein*, quae multas difficultates infirmitate corporis effectas deminuerunt Maximilianique animum admonendo atque consolando refocillaverunt.

Opusculum musicum, quod modo audivimus, *Ciacona in E Moll* a *Dietrich Buxtehude* composita, et opuscula, quae nunc in fine audiemus, *Passacaglia* et *Fuge in C Moll* a *Iohanne Sebastiano Bach* composita Maximiliano Mangold, qui omnia Bachiana opera organaria necnon magnam partem operum Buxtehudi discis compactis recepta possideret, bene nôta erant. Itaque pro certo habemus, îdem vir si nunc adesset, futurum fuisse, ut omnem tonum a *Domino Leonardy* nostro organistâ editum summâ cum voluptate gustaret.

Maximiliano Mangold gratias debemus pro omnibus, quae ab eo didicimus.

**REQUIESCAT IN PACE.**

...



Denique audituri sumus acrostichon a *Henrico Kraus* compositum, quod recitabit *Albrecht Zutter* incola oppidi *St. Ingbert*, editor Henrici Kraus.

## De Schbròòch-Gelehrde

### Akrostichon

Passjoon unn Pingschde: lejde, horsche, sòòn ...  
rischt in all Jòhre, immer s Dsiel vòòr Aue,  
off Werder unnerwäàs dursch Länner, Gaue,  
for Schbròòch in Schbròòch unn Sinn in Sinn se dròòn.

Dònn, irschendwònn unn -wo, dò kommd er òòn.  
Reduur gehd's nimmeh. Wisse dud sisch schdaue.  
Ma fiehd, s isch Dsejd, for's iwwer s Feld se schdraue;  
ma siehd, es keimd! unn das i's, was er mòòn:

Aus Drieb werd Blònds, aus Gnoschb werd Blied unn Sòòme,  
nej waggd e Wald, „die Dsuukunfd“ isch sei Nòòme:  
Gesòng unn Schbròòch glingd drin, unn Geischd-Wind wehd.  
Ob äämol Minder guud sinn, Ohre offe?  
Lòng dud, wer dengge kònn, off s Wunner hoffe,  
dass der, wo Schbròòch hadd, aa die Schbròòch verschdehd.

Heinrich Kraus



**R. I. P.**

**Hanc orationem lugubrem  
in memoriam**

**Maximiliani Mangold**

**d.28 m.Febr. a.2015**

**Saraviponto in urbe habuit**

**Marcus Groß**

**Bipontinus Professor**

**Studiorum linguarumque Europaearum**

**in Latinum convertit**

**Nicolaus Groß**



**LEO LATINUS**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,90 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,90 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## ECHUS VOCES

**d.02. m.lan. a.2016 h.13:19**

**Prof.em. Andreas Fritsch**

Andreas Nicolao sal. plur.

Summas tibi, Nicolae, gratias debeo propter epistulam Leoninam numero iam nonagesimam primam, quam ut strenam mihi pro tua liberalitate gratis misisti. Est profecto cornu Copiae! Iterum summas gratias! Etiam omnes epistulas superiores a te accepi atque etiam collegi. Ignoscas mihi, quod non semper statim rescripsi. Quamquam iam aliquot annis ante 'rude donatus' sum (ut certe scis), tamen multis negotiis partim maioribus partim minoribus sum occupatus. Etiam Latinitati vivae pro virili parte servire pergo, interero e.g. mense Februario illi conventiculo Latino, quod Iason Pedicone in America, in urbe Novo Eboraco, instituet, cf. [http://www.paideiainstitute.org/living\\_latin\\_in\\_new\\_york\\_city](http://www.paideiainstitute.org/living_latin_in_new_york_city)

Atque etiam mense Aprili inieunte Berolini conventui Palaeophilologorum Germanicorum (DAV) interero ibique una cum Roberto Maier 'Officinam Latinam' peragam, cf. [http://bundeskongress.altphilologenverband.de/images/2016/DAV\\_einladung\\_kongress2016\\_druck.pdf](http://bundeskongress.altphilologenverband.de/images/2016/DAV_einladung_kongress2016_druck.pdf) (pag.12).

Haec erit, ut puto, mea ultima officina Latina earum, quam instituere solebam in illis conventibus; primam in conventu Hammaburgensi anno 1990° una cum Nicolao Sallmann habui.

Si quid operis (aut fortasse laboris Herculei) tibi proponere mihi licet, precor vel suadeo, ut aliquando, si tibi otium erit, indicem omnium rerum componas, quas in epistulis Leoninis publicasti. Ita facilius quidam textus, nomina, imagines reperiri possint. Tibi, Nicolae, vir humanissime, in annum novum omnia bona, maxime autem bonam valetudinem et gaudium vitae viresque ad omnia, quae facere studes, necessarias exopto. Bene vale mihi que favere pergas.

**Care Andrea,**

gratias ago pro verbis benigne scriptis. Ceterum per errorem in prima pagina Epistulae Leoninae 92 scripsi "NONAGESIMAM PRIMAM (92)", ibi, ubi scribendum erat "NONAGESIMAM SECUNDAM (92)". Exemplum huius Epistulae emendatum tibi statim mittam. Velim tibi mittere Crabatum meum Latinum. Ad quam inscriptionem cursualem Crabatus tibi mittam? Fac me certiore. Vale semper, N.G.

**Andreas Nicolao sal. plur.**

Recentissimā epistulā Leoninā, id est iam nonagesimā secundā acceptā tibi, Nicolae, denuo maximas gratias ago simul admirans studium et operam tuam in viva Latinitate colenda consumptam. Gaudeo, quod epistulas mihi quoque gratis mittere soles, et, quamquam eas non semper ilico legere possum, tamen eas colligo, ut occasione data eas otiosius et attentius legere possim. Iterum iterumque tibi gratias ago. Optime vale.

**Care Andrea,**

gratias ago pro verbis benigne scriptis. Ceterum per errorem in prima pagina Epistulae Leoninae 92 scripsi "NONAGESIMAM PRIMAM (92)", ibi, ubi scribendum erat "NONAGESIMAM SECUNDAM (92)". Exemplum huius Epistulae emendatum tibi statim mittam. Velim tibi mittere Crabatum meum Latinum. Ad quam inscriptionem cursualem Crabatus tibi mittam? Fac me certiore. Vale semper, N.G.

**Andreas Nicolao sal. plur.**

Rursus tibi gratias ago, quod mei memor pro liberalitate tua librum tuum recentissimum mihi mittere paratus es. Quem libenter accipiam, et, si mihi occasio data erit, eum non solum legam, sed etiam in Foro Classico verbis aptis exhibebo. Inscriptio cursualis mea est: ..... Post

aliquot dies (cum uxore) Novum Eboracum volabo, ubi *The Paideia Institute* biduum Latinum peraget (Living Latin in New York City) et ego acroasin Latinam (his diebus praeparandam) faciam "De Solonis itineribus fabulosis et quibusdam sententiis eius". Te autem optime valere spero et opto.

**Nicolaus Andreae s.**

Gratias ago plurimas, quod Crabatum meum in Foro Classico exhibere paratus es. In acroasin tuam Neo-Eboracensem optima quaeque! Valde gaudeo, quod Latinitatem Vivam colis naviter et indefesse. Pancratice vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Groß LEO LATINUS

**D.13.m.Ian.a.2016 h.14:51 scripserunt Gaius et Francisca Licoppe-Deraedt  
Belgae editores MELISSAE periodici Latini**

Gaius et Francisca Nicolao s.p.d.

Hodie nobis allatus est Crabatus tuus, pro quo gratias multas tibi agimus. Eum libenter perlegemus et Melissae lectoribus commendabimus; lecta praefatione, iam statim intellegimus hanc translationem non fuisse factu facilem: nam et argumentum et verborum delectus satis est peculiaris! Speramus autem te Melissam mox accepturum esse, quam heri demum mittere potuimus; cum enim ruri vivamus loco paene deserto, omnia semel in septimana curare conamur, cum Bruxellas petimus. Cura ut valeas.

Melissa, sodalitas perenni Latinitati dicata

Rue des Aveugles, 14 A

B-4210 Marneffe

<http://www.fundatiomelissa.org>

Die 17/01/2016 17:14, SPQR, <[SPQR@leolatinus.com](mailto:SPQR@leolatinus.com)> scripsit:

**Nicolaus Melissurgis s.p.d.**

Gratias ago plurimas pro fasciculo Melissae mihi allato.

Melissa mihi valde placet. Assentior tibi, Gai, qui scribis de hominibus in Europam immigrantibus, sed addo maximam partem eorum neque esse mulieres neque infantulos, sed viros iuvenes caelibes. Tamen a diurnariis nostris mendacissimis iterum iterumque narratur de miseria familiarum; in televisorio solent monstrari matres et infantuli, quamvis iidem inter immigrantes sint rarissimi. Ceterum minima pars sunt veri profugi, si exacte consideratis: nulli. Nam omnes antequam Europam intrant, permigravere complures terras securas... Res immigratoria est omnibus Europaeis, praesertim Germanis (propter insaniam cancellariae nostrae), calamitas nocentissima et periculosissima. De eiusdem causis veris omnes politici, plerique diurnarii tacent rectitudine politica ("political correctness") inhibiti. Sed eadem non forte facta est; subest geostrategia Americanorum imperialistica, quam infernalem excogitavit generalis Thomas Barnett. Idem vult civitates nationales Europae destruere, ut fiat una Europa mixticia maximeque debilitata, quae inhabitatur a "phyla (race) mixticia lucide-fusca, quae sit stultior quam ut rationes politicas intellegat". ("The Pentagon's New Map" 2004, "Blueprint for action" 2005). Instrumenta ad hunc finem assequendum sunt ingentia flumina immigrantium a cultu civili occidentali remotissimorum venenoque islamico infectorum (certe certiores facti estis de rebus ultima nocte anni 2015 in Germania factis). Haec hactenus, aliquando fortasse plura... Valete et pergite nobis favere.

**Gaius Nicolao s.p.d.**

Gaudeo quod tibi placet Melissa nostra.

Verbis tuis de immigrantibus plane assentior. Multi Syrii certe bello patriam relinquere coacti sunt, sed iam diu sunt in vicinarum civitatum castris ad tempus collocati. Plerique, qui nunc

Europam petunt, veniunt e regionibus ubi non est bellum. Non puto tamen hanc esse Americanorum conspiracy; eis magis noceret, quam utilis esset; sed dices Americanos iam tot errores fecisse, qui sibi perniciosi fuerunt. Potius puto hoc esse consilium orbis Arabici, ubi nullum sincerum amicum habemus. Quare puto in Proximo Oriente soli reipublicae Israelianae esse fidendum et favendum.

De rebus quae acciderunt feminis in Germania non est mirandum; idem nunc accidit in Belgica in traminibus. Sunt viri iuvenes sine feminis qui vident feminas libere ambulantes et quasi nudas; eis est spectaculum incognitum et putant eiusmodi feminas necessario perversas esse. Sed, ut dicis, politici nostri has res quam maxime tacent; cur sic agant, nescio.

Vale.

**Dr. Gerhard Schneeweiß (qui ipse se vocat Nivecandidiorem)**

d.Lunae, 15. m.Febr. a.2016 h.16:34

Opinio tua plane Pegidiana, Leo Latine a me adhuc maximi aestimate, de migratoribus ac fugitivis a limite nostro repellendis minime mihi placet, quia cum omni ratione civili eget, tum non solum a doctrina Christiana, sed etiam a cultu ac humanitate litteris veterum scriptorum nobis tradita dissonat.

Quin etiam pastores isti animarum dubii a te nimis abunde citati, cum ab ecclesia sua quisque dissentiat, suos solum sensus proprios pro sententia divinae revelationis enuntiantes doctrinam Christianum funditus pervertunt. Num enim usquam verbum ullum Christi invenire potes, quo dicat: "Protege fines tuos! Arce peregrinos et fugitivos a domo tua! Dilige et adiuva familiares tantum tuos!"?

Fluctus ingens et immensus migratorum et fugitivorum, cum olim firmissimis atque fortissimis Romanorum legionibus a limite maximi imperii repulsus non sit, etiam illo maior nostra aetate ante fines nostros retineri nullo modo potest, nisi prius summa inopia et miseria in illorum patriis nostra potissimum ope atque divitiis levata et sublata erit. Sed ut illis temporibus antiquis cultus novus ac humanitas Europae occidentalis populis et moribus antea alienis et contrariis coniunctis exstitit, ita etiam hac aetate nos ex adventu migratorum et fugitivorum humane et hospitaliter acceptorum summum usum et emolumentum capturos esse sperare licet.

**D.15. m.Febr. a.2016 h.18:46 scripsit Gerardus Nivecandidior:**

criptores quoque antiqui, qui "pagani" dicuntur, longe aliter atque tu et isti sacerdotes falsi odio alienorum incensi sentiunt. Cicero enim: "Qui civium rationem dicunt habendam", ait, "externorum negant, dirimunt communem generis humani societatem" (de off. III, 27-30). Nam "natura propensi sumus ad homines diligendos, quod fundamentum iuris est" (de legibus I, 42). Eadem sententia est etiam Thomas Aquinas, summus ille ecclesiae doctor, dicens: "Omnis homo est naturaliter familiaris et amicus omni homini" (Sententiae ethicorum VIII, 1,3). Itaque, qui inopia fugitivorum et exulum neglecta humanitatem ad cives et confideles terminat, non solum doctrinam praeceptaque Christi prodit et deserit, sed destruit etiam fundamenta iuris omnibus hominibus communia et exiit naturam ipsam humanam. Vale! Gerardus Nivecandidior.

**Leo Latinus Gerardo Nivecandidiori sal.pl.dic.**

Care Gerarde,

valde gaudeo te Epistulas Leoninas legisse meque certiore fecisse, quid tibi videretur de rebus ibi lectis. Gratias tibi ago libenterque verba tua proxima in Epistulâ Leoninâ futurâ divulgabo.

Tamen permittas, quaeso, ut, quod attinet ad calamitatem immigrationis illegitimae, tibi ex animo contradicam. Pro certo habeo te in hac re a diurnariis cancellariae adulatoribus fraudatum vehementer errare. Reverâ non est hominis christiani caritate erga extraneos simulatâ caritatem erga proximos negligere. Nequaquam omnes Germani sunt divites, immo multi sunt egeni, iidemque ipsi iam effectum molis immigrantium immoderatae fiunt egeniores. Discordia socialis in dies exaugetur, imminet bellum civile. Praealentia muslimorum periculum est, ne libertas nostra adhuc lege fundamentali protecta ad irritum cadat.

**[Angela Merkel – Cancellaria infamis - YouTube](https://www.youtube.com/watch?v=Iq5PEdLqBg0)**  
**<https://www.youtube.com/watch?v=Iq5PEdLqBg0>**

Cum in praesenti non vacem ad singula universa explicanda, tibi mitto verba hominum huius rei bene peritorum: sunt verba professoris oeconomiae et migrationis necnon parochi libero ore loquentis:

**Prof. Paul Collier Professor oeconomiae Oxoniensis**

**<http://www.welt.de/wirtschaft/article151603912/Num-Angela-Merkel-sustinet-culpam-crisis-profugorum?-Quisnam-praeter-eam?.html>**

**Pastor Tschardtke – Homilia sincera 11.10.2015**

**<https://www.youtube.com/watch?v=POkCxaYutD4>**

Eorum verba, care Gerarde, primo attentè legas et audias; deinde de eorum verbis delibera; postea butyrum et mel comede, ut scias reprobare malum et eligere bonum. Denique iterum iudica de re totâ.

Errare humanum est, sed inhumanum in errore perseverare. Ceterum in numerum virtutum christianarum etiam referuntur prudentia et moderatio. Nihil potes efficere verè christianum, nisi his quoque virtutibus regeris. Quidquid agis, prudenter agas, et respice finem.

Deus te ad nova pascua ducat teque tueatur annis innumeris. Pancratice vale, mi care Gerarde, et perge mihi favere.

Medullitus te salutat

LEO LATINUS

**Gerardus Nivecandidior Leoni Latino sal.pl.d.**

Maximas gratias tibi ago, care Leo, quod litteris meis statim respondisti. Sed valde erras "pro certo habens" me ab adulatoribus cancellariae nostrae fraudatum et deceptum esse. Immo tibi plane assentior nimis multos egenos in patria nostra divitiis affluente iam pridem neglectos immigratione permultorum externorum etiam egeniores fieri nullo modo patiendum esse. Sed haec iniquitas socialis non illa immigratione efficitur, sed iam dudum capitalismo immoderato effecta est. Quin etiam distributio divitiarum iniusta est vera et prima causa illius fugae tam innumerabilium hominum infelicitum iudicanda. Itaque summum officium nostrum, praesertim autem illorum immoderate divitum est habendum et concives et advenas inopia laborantes aequè sublevare et adjuvare.

Praealentia ista muslimorum, quam dicis, nequaquam est timenda, si modo caritas Christiana et humanitas cultus nostri occidentalis praevalebit; quod ut fiat, nobis cum Dei auxilio maxima ope studendum est. Caritas enim summa virtus Christiana et vere "divina" habetur; domina est earum "virtutum cardinalium" non germane Christianarum, sed a philosophis antiquis traditarum, in quibus est prudentia et moderatio, quas virtutes tu iuste affers. Sed sine caritate Paulus apostolus illas pro nihilo aestimat.

Cura, ut valeas.

Gerardus Nivecandidior



## Ἀττικιστὶ διαλέγεσθαι ἐν τῷ κήπῳ τῶν Μουσῶν 13 – 27 Αὐγούστου 2016



Ἀκμάζοντος τοῦ θέρους κατὰ τὸ σῦνηθες φίλοι καὶ φίλοι μὲν τινες φιλέλληνες ἐν τῷ καλουμένῳ κήπῳ τῶν Μουσῶν ἀθροίσονται ὡς συναττικίσοντες. Οὗτος δὲ ὁ κήπος, μέγας καὶ ἐπίσκιος καὶ παραθαλάττιος ὢν, εὐρίσκεται ἐν τῷ Ἑλληνικῷ Εἰδυλλίῳ. Καλλίστη δὲ γενήσεται ἡ ἡμετέρα διδασκαλία πολλῶν καὶ ἄλλων φιλελλήνων τῶν λόγων μετεχόντων. Διὰ μὲν οὖν τοῦτο παρακαλοῦμεν πάσας καὶ πάντας ὑμᾶς ἐκ πάσης τῆς οἰκουμένης, αἰ/οἱ χαίρετε τῇ τῶν ἀρχαίων σοφίᾳ καὶ τοῖς λόγοις αὐτῶν, προσελθόντες συνδιαλέγεσθαι ἡμῖν. Ποία δὲ γενήσεται ἡ διδασκαλία; Δις τοι τῆς ἡμέρας ἐν τόπῳ χαριέντι τοῦ κήπου συλλεγόμεθα καὶ αναγιγνώσκομεν γράμματα ἀρχαῖα ἐξηγούμενοι αὐτὰ κατὰ τὸ ἔθος τῶν φιλόλογων. Οὐδενὶ δὲ ἀνάγκη ἔσται ἐξ ἀρχῆς ἀττικιστὶ ὡσπερ Γοργίας μακροὺς λόγους προφέρειν. Ἐξεστὶ γὰρ παντὶ τὸ πρῶτον μόνον ἀκροατῆς γενέσθαι. Ἀλλὰ ταχέως ὄψεσθε ὡς ῥαδίως ταῖς τῶν ἀρχαίων Ἑλλήνων λέξεσιν διαλεγόμεθα. Μελέτη γὰρ τὸ πᾶν, ὡς φησι Περίανδρος. Ἡ δὲ ἐν τῷ Ἑλληνικῷ Εἰδυλλίῳ διαγωγή οὐ μόνον ἐκ διαλόγων σύγκειται, ἀλλὰ καὶ ἄλλα γένοιτο ἂν πολλά. Πολλάκις γὰρ μουσικοὶ τε καὶ ἄλλοι τινὲς παιδείαν τιμῶντες ἐν τῷ Ἑλληνικῷ Εἰδυλλίῳ διατρίβουσιν, ὥστε συναυλῖαι καὶ ἀκροάσεις τινὲς γίνονται ἐσπέρας. Καὶ οἷόν τε ἂν εἴη ἄλλον τόπον θεάσασθαι καὶ δραῖμά τι ἐν ἀρχαίῳ τινὶ θεάτρῳ. Τοῦδε δὲ τοῦ ἐνιαυτοῦ πρόκειται ἡμῖν ὡς ἀναγνωστῆς Ὅμηρος μελετᾶσι. Ὁ δὲ διδασκαλίαρχος ἐκλογὴν τινα κομψοτάτων στίχων τοῦ Ὁμήρου παρασχήσει. Ἐάν τι πλέον καὶ ἀκριβέστερον θέλητε μαθεῖν – περὶ μάλιστα τῆς νυκτερινῆς διαμονῆς καὶ τῶν δωματίων καὶ τῶν λοιπῶν – εἰκὸς ἂν εἴη ὑμᾶς ἐν καιρῷ πυθέσθαι τοῦ τῆς διδασκαλίας καθηγητοῦ **Κυρ. Florian Feicht**, Schützenstraße 14, 12165 Berlin Email: [flofeicht@googlemail.com](mailto:flofeicht@googlemail.com)/ Tel. 0170-5835320 ἢ τιμὴ ἢ τῆς ἐν πολυκλίνοις δωματίοις διαμονῆς: διακόσια καὶ πενήκοντα εὐρώ. ἢ τῆς διδασκαλίας τιμῆ: πενήκοντα εὐρώ. πυθέσθαι ἔξεστι καὶ τοῦ κτίστου καὶ κυρίου τοῦ Ἑλληνικοῦ Εἰδυλλίου καὶ ταύτην λαμπρῶς τὴν διδασκαλίαν χορηγοῦντος **Κυρ. Andreas Dreki**s, <http://www.idyllion.eu> Hellenikon Idyllion, GR-25100, Selianitika (Egion) [info@idyllion.eu](mailto:info@idyllion.eu), <http://www.idyllion.eu/de/programm15.html> Tel. 0030/26910/72488 Mobil. 0030/6972/263/356.

## 2016: »AGON ARMONIAS« - »ΕΡΓΟΝ ΚΑΛΟΝ Κ' ΑΓΑΘΟΝ«



Hoc certamen internationale ad linguam palaeograecam classicamque philosophiam fovendam faciunt creativi iuvenes aetatis, quae est inter 13 et 28 annos.

Rectoribus provinciae disciplinarum palaeograecae antiquarumque linguarum, magistrisque historiae, philosophiae, artis figurativae, ballationis, artis theatrae, et omnibus magistris, qui fovere cupiant discipulorum experimenta artificiosa technicave

Dominae Dominique maximè honorabiles,

conventiculum internationale musico-cultuale, quod appellatur »Hellenikon Idyllion«, ex multis annis confert ad permutationem interculturalem. Ut continuemus certamen nostrum palaeograecum a.2005 factum, q.d. »AGON ARETES« (ΑΓΩΝ ΑΡΕΤΗΣ), certamenque melodramata componendi internationale a.2010 factum, q.d. »HELIKE ATHANATOS« (ΕΛΙΚΗ ΑΘΑΝΑΤΟΣ) necnon certamen palaeograecum a.2011 factum, q.d. AGON ARMONIAS 2011, nunc annuntiamus novum

certamen eo fine, ut inter se coniungamus classicam linguam graecam philosophicamque cogitationem necnon opera musico-artificiosa. Nobis cordi est linguam cultumque civilem palaeograecam quam maximè colere atque fovere. Hoc certamen destinatum est discipulis (minimum 13 annos natis) alumnisque academicis (minimum circiter 28 annos natis), qui oportet gregibus binorum trinorumque tractent incepta breviora. Non est necessarium, ut in omni grege omnes hōc tempore linguam graecam discant aut prius didicerint, satis est unum gregis participem linguae palaeograecae esse peritum ceterosque praebere animos ad thema tractandum maximè creativos.

Certamen: Tres provinciae sunt, in quibus singulis participum opuscula aestimantur praemiisque honestantur. Omnis grex certaminis particeps maximum unum tantum praemium accipere potest.

Pensum 1: Componendum est scopocinematium<sup>1</sup> (minimum decem secundarum, maximum trecentarum) *Hōc in scopocinematio oportet evidenter appareat, hominibus modernis quantum valeat discere linguam palaeograecam: e.g. hac linguâ descendâ augetur mentis acumen, excitatur phantasia, fovetur creativitas eqs. In his rebus efficiendis licet provocare ad verba hominum illustrium aut discipulorum linguam palaeograecam discentium. Non praescribitur, quo modo hoc exhibeatur; modus exhibendi remittitur ad participes ipsos.*

Pensum 2: Scribenda est actio brevis, e qua apparet, cur pulchrum sit/multum valeat... discere linguam palaeograecam (circiter dimidiam paginam). *Quibus rationibus prosit hanc linguam discere? Quatenus haec lingua valet ad heredum antiquitatis graecae cultuale adeundum? Quid causae est, cur pluribus iuvenibus occasio praebeatur linguam palaeograecam discendi? Quomodo fieri potest, ut aliorum animi eodem modo inflammentur ac vestri?*

Pensum 3: Efficiendum est, ut inter se congregentur discipuli alumnique academici, qui quondam didicerunt linguam palaeograecam, ut fiat talium hominum congregatio et salutatio, i.q. anglice dicitur *meet and greet*. *Hoc pensum eo absolvendum est, quod deliberatur, quomodo fieri possit, ut ii alii ad alios conducerentur, qui aliquando didicerunt linguam palaeograecam, eâdem per annos non iam usi, tamen eandem linguam amare numquam desierunt. Quomodo aliquis olim Homeri, Platonis, Aristotelis Epicurive verbis originalibus quasi helluatus deque iisdem animo inflammato*

---

<sup>1</sup> \*scopocinematium, -ii n. *Videoclip*.

*philosophatus cognoscat quosdam homines, quibuscum vivit, etiam aliquando linguâ palaeograecâ imbutos esse?*

Praemia:

lis, qui unum ex tribus pensis primo aut secundo loco absolverint, attribuetur aut praemium primum aut secundum.

Praemia prima:

lis, qui honorati erunt praemio primo, licebit gratis per duas septimanas pernoctare in conclavi duorum triumve lectorum, quod situm est in conventiculo »Hellenikon Idyllion« necnon gratis participare seminarium, q.d. »Ἀττικιστὶ διαλέγεσθαι ἐν τῷ κήπῳ τῶν Μουσῶν – PALAEOGRAECE LOQUI ET PHILOSOPHARI« (a d.13. usque ad 27. m.Aug. a.2016), si quidem hōc spatio temporis ibi habitabit.

Praemia secunda:

lis, qui honorati erunt praemio secundo, licebit gratis per unam septimanam pernoctare in conclavi duorum triumve lectorum, quod situm est in conventiculo »Hellenikon Idyllion« necnon gratis participare seminarium, q.d. »Ἀττικιστὶ διαλέγεσθαι ἐν τῷ κήπῳ τῶν Μουσῶν – PALAEOGRAECE LOQUI ET PHILOSOPHARI« (a d.13. usque ad 27. m.Aug. a.2016), si quidem hōc spatio temporis ibi habitabit.

Aestimatio: Praeses est Andreas Drekiis certaminis auctor et institutor, moderator et conditor Helleniki Idyllii in Graecâ urbe *Selianitika* siti. Arbitri ex variis terris europaeis oriundi sunt ii qui sequuntur: • Joulia Diamantopoulou, magistra gymnasii philologiae classicae Atheniensis • Florian Feicht, magister gymnasii linguae palaeograecae Heidelbergensis • Dr. Dora Katsonopoulou, palaeophilologa et archaeologa, directrix effossionum urbis *Helike* antiquae terrae motu subrutae prope Egion sitae • Prof. Dr. Werner Schulze, compositor melodiarum, professor emeritus Universitatis artis musicae et figurativae Vindobonensis, aestimant symbolas sibi missas attribuuntque praemia et honestamenta dignationesque. Arbitrium arbitrorum est definitivum nec licet idem addubitare. Participes comprobant nomina symbolasque sui in interreti publicatum iri.

Quomodo nomen detur participando, et quando, si tardissimê:

Oportet aetate et scientiâ linguae palaeograecae indicatâ nomen detur certamini gregum duorum triumve participum participando, si tardissimê, d. 15. m.Mart. a.2016. Scribatur breviter et informaliter,

indicentur nomen, inscriptio cursualis, schola sive universitas, mittatur epistolium electronicum ad: [info@idyllion.eu](mailto:info@idyllion.eu). Annuntiationes epistolio quoque electronico affirmantur acceptae. Symbolae certaminis (licet etiam ab uno grege complures symbolas mitti) oportet mittantur epistolio electronico, cui inest iunctio (*link*) scopocinematii, si tardissimê, d.30.m.Apr.2016. Libenter, si vultis, plurima explicabimus aut ratione scriptuali aut telephonicâ: 0030-2103461034.

Laetê exspecto numerosas ideas creativas symbolasque. Andreas Drekis, conditor et director Helleniki Idyllii Selianitika, m.Febr. a.2016. Alia opera ab Helleniko Idyllio ad cultum civilem palaeograecum (musicam, theatrum, linguam) fovendum instituta invenietis hõc in situ interretiali: <http://www.idyllion.eu/de/programm16.html>

Fruamini fabulâ theatricâ, quam m.Oct. a.2015 classis palaeograeca Husumensis (18 hominum) linguâ palaeograecâ apud nos in horto egit, c.t. »Helike Athanatos«. Quae classis Husumensis invitata apud nos duas septimanas degit. Ecce iunctiones electronicae scaenarum huius actionis theatrae: <https://www.youtube.com/watch?v=eaT20RSp4pw> et <https://www.youtube.com/watch?v=wg8RnJUqz1MW>

## **HANC ANNUNTIATIONEM**

## **CERTAMINIS PALAEOGRAECI**

### **A. 2016 FACIENDI**

## **E THEODISCO IN LATINUM CONVERTIT**

Nicolaus Groß



# LEO LATINUS

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
NONAGESIMAM QUARTAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

Die Dominico, 21. m. Febr. a.2016

Nicolaus Groß

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.de/>**